

EADEM DIE.

## S. LEODEGARII EPISCOPI ET MARTYRIS.

MEMORIA.

**L**ÆTETUR Ecclésia tua Deus, beáti Leodegárii, Mártyris tui atque Pontíficis, confísa suffrágiis : atque ejus prémibus gloriósis et dévota permáneat ⁊ et secúra consístat : Per.

Oratio.

DIE XII. OCTOBRIS.

## B. JACOBI AB ULMĀ CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui beátum Jacóbum, Confessórem tuum, humilitatis et obediéntiae virtúte mirabiliter decorásti : ejus intercessióne fac nos terréna despícere ⁊ et mandátis tuis júgiter inhærére : Per.

DIE XIII. OCTOBRIS.

## S. EDUARDI REGIS, CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui beátum Regem Eduárdum, Confessórem tuum, æternitatis glória coronásti : fac nos, quæsumus, ita eum venerári in terris ⁊ ut cum eo regnáre possímus in cælis : Per.

DIE XIV. OCTOBRIS.

## B. MAGDALENÆ DE PANATERIIS VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui néminem in te sperántem déseris ⁊ et pie deprecántem misericórditer exáudis : tribue, quæsumus, ut quod nostris méritis non valémus ⁊ beátæ Magdalénæ Vírginis patrocínio consequámur : Per.

In j. Vesperis Memoria S. Callisti Papæ et Martyris.

Oratio.

**D**EUS, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere ⁊ ad amórem tuum nos misericórditer per Sanctórum tuórum exémpla restáura : Per.